Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Liber Chori B.M.V. in Erfordia - Cod. St. Peter perg. 50 a

Erfurt, [13. u. 14. Jh.]

Raymundus de Pennaforte: Summa de casibus

urn:nbn:de:bsz:31-28186

Visual Library

ut in singulis monasteriis discreti eligantur et maturitate perfecti qui redditus predicti officii recolligant universos. In ipsis vero hospitalibus recipiantur annuatim et pascantur de dictis redditibus senes, infirmi et decrepiti sacerdotes qui pre debilitate corporis non valent nec debent sacerdotale officium exercere, ne ipsos quos ministerii nostri cooperatores habuimus fame oporteat miserabiliter interire, vel necessitate cogente in vituperium ministerii nostri et obprobrium ordinis clericalis in plateis (quod absit) omnium detestatur miseros mendicare. Statuimus etiam ut dyocesani provideant ne in aliquo hospitali recipiatur aliquis qui sustentationes habere debeat in hospitali eodem nisi primitus signum aliquod deferat in vestis mutatione per quod ab aliis secularibus discernatur. nō

54 Sunt non nulli qui anno gratie qui pro relatione (relevatione) debitorum in fructibus beneficiorum defunctis clericis est concessus dampnabiliter abutuntur fructus ipsius anni consanguineis suis vel aliis quibus voluerint relinquentes, ex quo provenit duplex iniuria ecclesie scilicet et persone. Fraudatur enim ecclesia per dictum anni spatium servitore. Privatur etiam persona succedens in percipiendis fructibus iure suo. Quod decetero fieri prohibentes sacro approbante concilio statuimus quod nisi pro revelatione (relevatione) debitorum que tamen aliunde solvi non possint, anno gratie clerici non utantur vel nisi ipsius anni fructus pro aliqua pia causa ipsi relinquant ecclesie a qua idem beneficium habuisse noscuntur. (2 finis)

Nota differentiam inter excommunicationem, interdictum et suspensionem. Nam proprie excommunicatur persona, xi. q. iii. Engiltrudam. Suspenditur similiter persona quandoque ab officio, quandoque a beneficio, quandoque ab utroque, extra de purga. ca. inter sollicitudines. Interdicitur proprie locus ut civitas, castrum, regnum, extra de verborum sig. cum in partibus. Item nota quod generale interdictum non solum dicitur cum regnum vel provincia interdicto subicitur sed etiam cum villa vel castrum vel civitas interdicto subicitur generale dicitur.

Item nota quod cum generale interdictum positum est in terra, villa
vel castro, privilegium a sede apostolica indultum plerisque religiosis,
ianuis clausis interdictis et excommunicatis exclusis non pulsatis cam-
panis et suppressa voce possint celebrare divina. ex. de penit. quod inte.
Hoc etiam privilegium concessum est et fratribus predicatoribus
et minoribus quibus consulo ut diligenter observent premissa ne pri-
vilegium mereantur amittere qui collata sibi abutitur potesta-
te. ex. de privileg. ut privileg. Hoc ipsum hodie extenditur ad episcopos nisi
quibus specialiter fuerit prohibitum vel qui causam prestitint inter-
dicto. ex. de privileg. quod non illis. Item in generali interdicto debent
ista conferri ab ecclesia scilicet baptisma puerorum penitentie morientium.
Potest etiam episcopus pueros baptizatos confirmare. Item semel
in ebdomada vel in mense populum ad ecclesiam aliquam convocare et
predicare eis. ex. eodem titulo. Responso. Item morientibus si digne penite-
ant potest dari eucharistia ut dicit decretalis. permittimus ecclesiarum
ministris semel in ebdomada tempore interdicti non pulsatis campanis
voce submissa clausis ianuis interdictis et excommunicatis exclusis missarum
sollempnia celebrare causa conficiendi corpus domini quod decedentibus
in penitentia non negatur. ex. de sententia excom. permittimus. Item quod cle-
rici decedentes qui bene servaverint interdictum in cimiterio ecclesie
sine campanarum pulsatione cessantibus sollempnitatibus cum silentio
tumulentur. ex. de penit. quod inte. Item in conventualibus ecclesiis bini et bini
vel tres simul horas canonicas valent legere simul potius quam
cantare ianuis clausis interdictis exclusis voce ita dimissa quod
exterius audiri non possit, per quod patet quod interdicti et multo fortius
excommunicati non debent auscultare horas. ex. ecclesiam et faciendo
peccant. Item peregrinis recipientibus signum crucis ob reverentiam
crucifixi non est penitentia deneganda quod etiam aliis peregrinis
potest misericorditer indulgeri. ex. de penit. quod inte. Item quid si ali-
qui interdicti in civitate velint satisfacere numquid saltem eis
relaxandum est interdictum? dico quod non quia sic rigor ecclesiastice
potestatis tepesceret.